

## CAPUT III.

## De Confirmatione.

173 Q. 1. *Quid ad hoc Sacramentum conferre possit, & debeat Pastor?* R. tametsi ejus minister non sit; curare tamen debet, ut subditi hoc Sacramentum debitè cognoscant, & se ejus participes efficiant. Unde Catechismus Rom. c. 3. *Si in Confirmationis Sacramento explicando Pastorum diligentia unquam requirenda fuit; nunc certè opus est quam maxime illustrare, cum in sancta DEI Ecclesia hoc Sacramentum à multis omnino prætermittatur: paucissimi verò sint, qui divina gratia fructus, quem deberent, ex eo capere studeant.* Hæc explanatio autem, ut idem Catechismus indicat, sicut alijs quoque diebus, ita præsertim die Pentecostes, quo præcipue administrari solet, instituenda est.

174 Q. 2. *Quid potissimum circa Sacramentum hoc declarari oporteat?* R. conformiter eidem Catechismo. 1. quod verum sit novæ legis Sacramentum. 2. Quod exinde dicatur Sacramentum *Confirmationis*, quia confirmat, & roborat, & baptizatum veluti militem Christi efficit. Ubi adduci potest exemplum Apostolorum, qui ante, & in passione Christi infirmi, & debiles, die Pentecostes Spiritus sancti virtute roborati summè ardua, & mortem ipsam audacter, & liberè superarunt. 3. *Quid oleum, quo confirmatus unctionitur, quidve balsamum admixtum si-*

gnit

gnificet : videlicet per oleum significari gratia plenitudinem , per balsamum verò virtutum suavitatem , ita ut confirmati dicere possint : Christi bonus odor suavis . 2. Cor. 1. v. 15. 4. Quomodo oleum & balsamum speciali-  
lem hanc vim per Episcopi consecrationem accipiat . 5. Quid per verba formae indice-  
tur . 6. Quam dignum sit hoc Sacramentum ,  
eo quod conferri nequeat , nisi ab Episcopo .  
7. Qui , & quales Patrini adhibendi , & quæ cognatio contrahatur . 8. Quomodo de-  
ceat , ut Sacramentum hoc non prius , nisi  
post adeptum rationis usum suscipiatur .  
9. Quod ratione præditis exacta confessio  
sit præmittenda . 10. Declarandum est ,  
quomodo confirmandus in Confirmatione  
ipsa gerere se debet . 11. Quia inunctio  
frontis significet , videlicet , ut confirmatus  
nullo metu , aut verecundiâ à Christiani no-  
minis confessione deterreatur . 12. Cur  
Episcopus alapam infringat , videlicet in si-  
gnum , quod confirmatus paratus esse de-  
beat ad omnia adversa invicto animo pro  
Christo preferenda . 13. Cur Episcopus pa-  
cem confirmatio imprecetur , videlicet in  
signum , quod confirmatus gratia Cœlestis  
plenitudinem , & pacem , quæ exuperat om-  
nem sensum ad Phil. 4. v. 7. confe-  
catus sit .